

consil. de celeb. miss. conf. 10. ex quo desumpserunt deinde Festus in summ. conf. Prædic. p. 1. cap. 28. Conf. in summ. priuileg. titulo 19. cap. 2. Zanad. 2. part. suæ summ. capit. 21. A Sorbo verbo Missa 3. pagin. 410. Fracinel. in tractatu de obligat. sacerdot. sect. 6. arg. 21. & sect. 7. & §. 9.

12. Noto 2. quod consultus Nau. loc. citat. super hoc priuilegio, respondit multa. 1. quod non solum Generali, qui tunc fuit, sed etiam alijs, qui huic successerunt, & succedent in posterum, data est prædicta facultas. 2. quod potest dispensare non solum super missis receptis tempore data eorundem priuilegiorum, sed etiam post postea receptis ante suam visitationem, & tempus, in quo petitur dispensatio. 3. quod non potest Generalis facere facultatem fratribus recipiendi missas, seu elemosynas dicendas eas. & deinde pro eis dicere solum collectas. 4. quod potest Generalis, etiam extra tempus visitationis, in prædictis dispensare. 5. quod prædictus Generalis prædictam dispensationem per se ipsum facere debet, nec potest alteri suam potestatem delegare. 6. quod Generalis debet hanc dispensationem facere cum inquisitione in scriptis de numero missarum obligatarum, & de causis, propter quas sunt receptæ, nimirum propter necessitatem, fratrum, & fabricæ Conuentuum, aut Ecclesiarum. Septimo, quod Generalis hanc dispensationem faciens, debet applicare alia merita suorum subditorum, vt ieiunia, orationes, & alia bona opera ad illas animas, pro quibus est satisfaciendum in missis. Hæc Nauar. Quæ omnia mihi placent, excepto tertio, & quinto.

13. Quod enim Generalis possit hanc dispensationem committere suo Visitatori generali, colligitur tum ex his ipsis priuilegijs, quod est concessum ad serenandas conscientias fratrum, qui necessitate vel victus, & vestitus, vel fabricæ, recipiunt multas missas, quibus deinde plenè satisfaciere non potentes, scrupulis anguntur. Vnde cum Generalis non semper possit totam Religionem visitare, ea loca, quæ non potest præsentialiter visitare per suum Vicarium generalem, qui si non haberet hanc potestatem reducendi missas, non posset perfectè suum exequi officium, nec conscientijs subditorum mederi. Tum quia delegatus à Principe potest alteri negotium committere. cap. pastoralis, de off. deleg. nisi sit electa industria personæ, vt Glossa in summ. dicti cap. Pastoralis. At hic non videtur electa præcisè industria personæ Generalis, sed Generalis visitantis: Vnde cum officium visitationis possit aequè benè Generalis implere per substitutum, poterit etiam hoc visitationi annexum. Tum quia id videtur expressè dici in capitulo final. de offic. del. Ex quo tex. colligitur Cardinal. & Abbas. not. 1. hanc regulam, quam menti tenendam esse protestantur, scilicet, quod *Papa committendo alicui causam, regulariter non videtur eligere industriam personæ, sed potius intendit providere negotio, quod decidendum committit.* Tum quia sola magnitudo causæ non facit videri electam industriam personæ. Felin. capitulum final. §. Is autem, numero 4. de offic. deleg. Tum quia tunc solum videtur electa industria personæ, cum vel committitur factum, quod non potest per alium adimpleri: vel in commissione dicitur, Vt tu expedias, & non alius, vel Vt personaliter, vel Per te ipsum, vel Proprijs manibus hoc expedias, vt Felinus loco citato numero 3. & 4. Sed in nostro casu nihil horum est, vt patet, & hoc factum potest aequè benè adimpleri per prudentem Visitatorem cum plenaria potestate datum, ac per Generalem. Quando censetur electa industria personæ, vide Menoch. tom. 2. de præsump. quæst. secunda punct. 81.

14. Quod verò Generalis possit facere facultatem fratribus recipiendi missas in futurum, & dicendis pro illis tot collectas, contra 3. dictum Nauar. patet clare ex dicta bulla Leonis, §. 3. ibi, *seu in posterum recipiant,*

Vnde de mente Pontificis non dubito, quin intenderit etiam concedere priuilegium pro missis futuris, quod non negat absolute Nauar. loc. cit. nu. enim 3. ait, vt transpatem de rigore iuris posse defendi. Et n. 6. fine ait. *Quamuis propter magnam causam id citra culpam fieri possit, videtur asserere finis bullæ Leonis, scilicet propter urgentem necessitatem.* Quare etiam secundum Nauar. propter necessitatem victus, & vestitus, aut fabricæ Monasteriorum, potest Generalis dispensare, vt fratres recipiant elemosynas missarum, & deinde solum dicant collectas. Ad maiorem autem intelligentiam huius dicti

15. Quæro vtrum missæ sacrificium pro multis differentibus oblatum, tantum valeat singulis, ac si pro vno tantum offerretur.


16. Hanc rem esse valde controuersam, præsertim hoc tempore. Ego à D. Thoma non discedo, nec per imaginationem. Et qui sensum Domini cupit intelligere, à domesticis inquirat. Dico ergo, quod fructus meritorius, & satisfactorius sacrarenti, & sacrificij missæ tantum valet ex condigno singulis, cum pro multis offeratur, ac si vni tantum applicaretur. Ita D. Thom. 3. p. qua. 79. art. 1. corp. Caiet. ibi, & tom. 2. opusc. tract. 3. q. 2. Sylu. verb. Missa, l. qu. 9. Arag. 2. 2. qu. 85. art. 3. verum Contrarium tamen pag. 61. Montag. de val. miss. cap. 24. qui ait, ita etiam sensisse Vniuersitatem Sorbonæ, & alij multi apud istos. Probatur, tum quia virtus missæ ex opere operato in se, & absolute sumpta est infinita quoad sufficientiam, licet sit finita quoad efficaciam, iuxta dispositionem recipientis, quia res oblata est Christus passus, & eius infinita merita. Ergo nihil prædicti fructus detrahatur ex consortio aliorum: Tum quia D. Hieronym. relatus in cap. Non mediocriter, de cons. dist. 5. ait, *Cum igitur pro cunctis animabus missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Tum quia si hoc non haberet ex sua natura missæ sacrificium, Papa id concedere non posset. Sed hoc nostrum priuilegium modo vacat per decret. Congreg. quod habes infra, in constit. 9. Urbani VIII.

## CONSTITVTIO VI.

*Confirmat de nouo Regulam, approbat declarationes illius, factas à Cardinali Senogallensi. Prohibet cantum, & ingressum mulierum non Fundatricum intra septa nostrorum Monasteriorum.*

### IVLIVS PAPA II.

Dilecto filio F. Francisco Binet Ordinis Minimorum Generali salutem, & Apostolicam benedictionem.

S. I.  *Incit anno superiori generale Capitulum Ordinis fratrum Minimorum in alma Vrbe nostra de mandato nostro celebratum fuerit, illicque autoritate nostra presuerit dilectus filius noster Marcus, titul. S. Mariæ trans Tiberim presb. Card. Senog. ac electio de te in generale Correctore dicti Ordinis canonice facta, necnon omnia,*

Capitulum generale per alias suas celebrari mandauit.